Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 435
Quelle:
Copyright:

CODICES PATRISTICI.

CCLVI.

R. 2226 Codex membraneus lat. Sec. IX. Folior. 255. 4. luculente et pulcre perſcriptus, rubricis diſtinctus, optime ſervatus, et olim Bibliothecae Epiſcopatus *Neoſtadienſ.* in *Auſtria* inſcribitur nunc: *Incipit Prologus Libri Recognitionum Sancti Clementis diſcipuli Beati Petri Apoſtoli Continens in ſe diſtinctiones VI.* Neque in Prologo *diſtinctiones* obſervantur, et Opus ipſum *Clementi*, ut norunt Eruditi, ſubpoſitum in X. *Libros* diviſum eſt. Dixi *nunc;* nam et aliam literis majuſculis miniatis Inſcriptionem olim praeceſſiſſe neceſſe eſt, e qua modo verba reſtant: *Cui* (Clementi) *Cathedram ſuam* (Petrus) *reliquit.* Praefatio interpretis *Rufini Torani* nullo titulo inſignis incipit: *Tibi quidem Papa Gaudenti noſtrorum decus inſigne doctorum* &c. Notabo, ut et ad ſequentem Codicem faciam, in quibus potiſſimum ab Editis *Cotelerii* diſcedat. *Tardos reddidit* pro *reddit. Depoſcebas* pro *poſcebas. Direptam* pro *ereptam. Dyptamni* pro *dictamni. Etiamſi aliquam proprius ager* pro αλογῳ *etiamſi aliquantulo quam proprius ager. Mea Anima* pro *Anime mi. Vultus aſpiciat* pro *accipiat. Nec extremo* pro *ne extremo. Vileſcant tamen iſtis*